

dum esse duco, ut quo ad eius fieri poterit, contubernio ipsas hospitalicꝝ necessitudine coniungam. Quippe quū alteram amplectendam retinēdamꝝ necessario habeam, alteram summa uoluptate semp̄ sim exosculatus: ex quo ad frugem aliquam bonam excolēdum mihi animum esse statui: illamēꝝ ueluti instrumentū uitæ colam, coluerimꝝ: ad hanc omnes uitæ rationes, uiuendiꝝ causas cōtulerimꝝ & referam: illi denicꝝ corpus, huic animum desponderim. Gaudeo Erasmus ambas meas epistolas accepisse post græcam ab eo ad me scriptam. Verebar enim ne si intercidissent, ipse mihi succenseret ut parum officioso, tančꝝ nō rescriptssem. Salutabis eum uerbis meis, cum hominem conueneris, τῷ ρῳ γῇ πριπλείγου τσοῖς μαὶ δῷ Θίλοῃ, δὲ πτῆρῳ ἔφθιω ποιήσας, ἔγω γε ἀξιολογωτάτῳ. Κέπιφανεσάτῳ γε δὲ οὐδὲ μένηρ τοῖς ἐνπευξομένοις ταῦς ἐπιβολῶντας ταῦς ἀμφοῖρημῶν ἔδητε μὴν, ἢ νῦν ζορέζισσας. Vale. Salutauī quos salutandos mandasti. Parisijs postridie Calend. Feb. M. quingentesimo undeuicesimo.

## GVIEL. BVD AEVS LVD. VIVI S.



T lætitia affectus sum literis tuis perlectis, ita tristicula quædam subiit animum mihi suspicio: subacerbusqꝝ scrupulus ab Erasmo meo, qui pro suo more non rescripts alteris iam literis meis: scilicet hoc illud est, nescio quid ille arbitratur stomacho meo hæsisse aut rancidulæ simultatis, aut pertinacis offensiōis, ob grādem illā epistolam, in qua eloquētię tragulas figuris inuolutas in hominē semiermē, atqꝝ improuidū cōtorsit, omnia tū pacata sperantē & cōposita. Quā tñ ut elogiū summi uiiri asseruādā esse duxi, in bonā utiqꝝ partē fidē magis factum. Quanquam cū minime suspicacem me hominē dū-

taxat ab amicis, ac summæ simplicitatis esse semp̄ præ me tulerim, mihi ipsi imperare constitui, nihil omnino odiosi us existimare, quām Erasmus inertiorē iam esse factū & desidiosiorem, animo utiq̄ fatigente laboribus irrequietis. Neq; uero aut illum, aut te audiam, si causificari institeris, & excusare occupationes eius auocamenta non admittentes: utpote qui sciam, & ex publicatis libris cernā nunq; non illum scribendis epistolis feriatum fuisse, ad eos quidem quorum huiuscmodi commercio animi causa uititur. Sed quod ei de me te rogitanti dixisti, existimo p̄belle me, admodumq; risisse: uidelicet quod dices, cū fabris mihi nunc & structoribus, non cum literatis ac studiosis rem esse: deinde etiam (si Philologiæ placet) cum auxiliis mancipibus, officinæ scilicet molestiarum atq; imposturarum. Iam primum quod bellum dirum & inexpiabile quieti, ac pecunijs meis indixerim, cum mihi ædificandi libido incessit damnosissima: erratum quidem agnosco, culpamq; adeo fatalem non inficior. Verum quid agerem, aut quam mihi fugam mortis consicerem potius: quod exilium amoenius à contubernio Philologiæ meæ: Sed rem totam ut cognoscas uelim. Nescio quo casu contingere, ut essem repente in ære meo satis multo, ut unus quidem hominum studiosorum: at sum numeratæ pecuniæ impotens, ut si quis alius natura: fœneratoriam factitare non didiceram: quum omnino facere nequirem, quin pecuniā studiorum meorum interpellatricem, aliqua in re occuparem, aut quoquis modo amolirer à contubernio bibliothecæ meæ, nec in uicinia proscriptiones prædiorum existerent, ad ædificatoriam animum appuli: primum animi ipsius causa, quem à contentione lectionis commentationisq; ut abducerem, medici ita mihi auctores erant, minas ut adderent etiam capitales, nisi dicto audiens essem. Hoc enim competenter quoq; ad easum ante dictum accesserat,

cesserat, instabant propinqui, amici, obuij quiq; deniq;, ut affectam ualetudinem, corpusq; extenuatum, ac prope modum accisum recrearem, & instaurarem. In quoru<sup>m</sup> po testate ac medicor<sup>r</sup>, cum futurum me sepius promissem, ab instituto tandem genere uitae migraui in uniuersum: salutemq; penè literis dixeram destinatione animi: utpote ob aduersam meam ualetudinem inuidiosis apud omnes, qui me nouerant. Specimen autem œconomicæ facultatis factitans, in metandis circumscribendisq; uillis & instruendis mire mihi placebam: interim rationem nullam subducens in summam uniuersam impendiorum, quoad tertio demum anno errorem sentire cœpi: tum primum scilicet, quum expeculiato mihi esse cōtigit & exhausto. Et tamen sic quoq; etsi sero ad frugē bonam redijsse quo modo uidebar, iamq; senectutis & familie rationem ducere: quum rursus è re nata ædificandi necessitas studio rumq; auocatio, in pristinam me molestiam, rei<sup>r</sup>q; familiaris uoraginem reuoluit: unde semel extitisse mihi met ipse gratulabar. Siquidem cum antea inter inquilinos cense rer, & sexto aut septimo quoq; anno domicilium, uiciniā, parœciam demutare cogerer: simul nouas sedes Musis meis quærere, larariumq; meum interpolare: firmare alia quando sedem constitui Philologiæ meæ, instrumētumq; figere studiorum meorum. Domum emi procul foro, sed ea in regione urbis, quæ magnificis ædificijs nuper cohos nestari cœpit. Hæc cum à uicinis mihi est accommodata, tum uero compendiosum habet exitum ad utramq; meā uillam. Cæterum (quod aiunt) porculum intra saccum mercatus. Nam domum emi uix oculis limis per transitū inspectam. Neq; enim tum licuit ob inquinum intus eam perlustrare. Quare quum hoc anno in eam transiuissem, reconcinnare eam adortus, eò necessario perductus sum, ut partem eius dirutam ab integro instaurarem. Deinde

hoc incommodi accessit, quod ne rediuiuo quidem lapi-  
de uti mihi licuit, ne cōtignatione quidem eadem; ne ipse  
mihi magis, quam liberis ædificare uiderer. Ita qđ in præ-  
toriolis rusticis luxui imputari potuit, in urbe necessita-  
tis expressæ fuit. Quod ideo testandum apud te duxi, ne  
mihi uitio uertatur, quod domi me tunicatū (ut arbitror)  
offendisti: & circa huiuscemodi curas satagitantem, haud  
congruenter utiqꝫ studiosi uiri instituto. En tibi rationē  
frugalitatis meæ, quam triennio ego secutus, Plutum illū  
meum, quem mihi aliquando Erasmus inuidere uideba-  
tur, funere tandem extuli: non latrocinio, non alea, nō ui-  
aut casu sublatum, sed lapidatione confectum, peremptū,  
& obrutum. Post hæc tanta ingenij mei auocamenta ab  
solito instituto, etiam curiosus esse uolui: & uelut in Eu-  
thymiæ numen, piaculo me obstrinxisse: aulam inspice-  
re sustinui, atqꝫ etiā intropicere. Miserum me, qui id infi-  
ciari piaculum nequeo: scilicet parum erat totum penè tri-  
ennium, tot mihi negocia meipsum facefisse, studij uolu-  
ptate caruisse, tantum temporis rationibus meis exemis-  
se, nisi etiam Iliadis molestiarum periculum facerē. Tam  
etsi ὅνδ' οὐ τῷ κακῷ, ut aiunt: nam interim ineptiens, tribus  
aut quatuor mensibus tantum me spero profecisse, ut spe-  
ciosum quidem illud monstrum, sed Sirene pellacius, exi-  
tiabiliusqꝫ, quam Aulam appellam⁹, haud antea mihi in-  
expertum: ita deniqꝫ cœperim odiſſe & auersari, ut auem  
inauspiciatam. Quod nisi τοὺς ἀπὲ τροπαιάς θεοὺς præsentes  
ac propitios habuissēm, in medias utiqꝫ fauces mōstri me  
infiniuauissēm, ut quidem impetum haud auspicato cepe-  
ram. Nunc uero ita perspexisse illecebrosam eius ingluvi-  
em me spero, ut nunquam proprius accessurus sim: nisi (ut  
sunt humana non in homine sita) liuidus aliquis genius se-  
curitatem mihi inuidere cœperit, & uelut aulæ fugitiū,  
ad eam retraxerit, quod diui omen auertant. Quod si scis

ens, prudēsque fallo, causam haud dico, quin me deus optimus maximus maximo quodam mactet infortunio. Et tu me arbitraris aulæ mancipatum ita esse, ut nec mei iuris esse cupiam, nec ditionis philosophiæ? Apagesis mihi Ludouice istam opinionem, & nisi perfidiosum me esse putas, mihi me, & Philologiæ meæ, amicis, & literatorum omnium, studiosorumque nationi restitutum nuncesse credere: qui quidem mecum inire & contrahere amicitiam uolent, id quod tu uotis propè cōceptis exoptare uidebare. An uero ego illam libertatis prostitutionem, illam industriarum, & facultatis uenditationem indecorā, illam denique mentis carnificinam tranquillitatis cupidæ, commentandi uoluptati, stili exercitationi, ingenij officine, liberis p̄ferrrem: in qua animi, sensusque simulacra cuduntur & effinguntur, non modo iconice, sed etiam ethice elaborata? ut nunquam ipsa interitura, ita perenni memoriæ, famæque consecrāda posteritatis scitis. Ita me Deus, diuīque omnes suuent, ut ego Philologiæ meæ iugem, assiduam, perennem consuetudinem, uxoris consortium & coniūctum, liberorum comitatum cum filiolæ unicæ blandimentis, & infantium acroamatis strepitantium inter se & collusitantium, pluris esse duco, quam omnes fastus aulæ, & mirificas illas species regij comitatus, omnes principis apparituras libertate mulctatas. Quid hortorum, pascuorum, aruorum conspectum nullis officientibus ædificijs liberum, quanti esse estimas? Quantu[m] villarum amoenitatem, ambulationes inter opaca abstrusas, meditando, commentando, recitando implicitas, rhapsodijs canoras, numeris omnibus securitatis, tranquillitatisque solutas? Quāti denique illud ocium fruendæ felicitatis, quum interordinijs arborum obeundis, quibus ipse metandis non primem, in uetusque oblongos porrigitdis interfui, uelut operis curator, operarumque exactor, uiuere me sentio? Eos

autem quibus uel in fortí strepitū, uel in aulæ ambitu cō-  
senescere contingit, auraquidem uesci ac spirare, non eti-  
am frui uita, cœlicq; suspiciendi compotes esse censeo: qui  
bus utiq; ipsis (ò miseram uiuendi conditionem) nec licet  
unquam, nec libet secum uiuere, & suo uersari cū genio.  
Ibi unam demum experior ægritudinem: cum mihi subi-  
scilicet repetendæ urbis memoria, nō aliter atq; si iugum  
rursus subeundum sit equo in pascuis soluto. Enim uero  
lectitandi, commentandi, scriptitandi uoluptatem, ijs qui-  
dem certe, queis ea res sub man⁹ succedit numine aliquo  
aspirante, nec ære nec auro permutandum esse censeo: ne  
sceptris quidem ipsis, nedum fascibus, & infulis ad uulgus  
splendorem suum uendantibus. Necq; id temere ipse in-  
consultoq; impetu, aut inani (ut fit) philosophatione iudic-  
co & statuo. Certa est hæc sententia animi confirmati, fidu-  
cia solida subnixi, multa atq; diuturna meditatione quæsi-  
ta:det mihi modo prouidentia, ut iuris mei esse possim.  
Omnia enim uitæ genera considerasse, omnia instituta ho-  
minum nostratium expendisse accurate mihi uideor: dun-  
taxat quod satis esse possit ad æstimandum, quid in uno:  
quoq; genere commodi sit, & incōmodi: quoq; aliud aliij  
præstet, aut alio deterius sit. Sed nihil perinde hilariter re-  
cordor, quam cum omnes animi mei potestates comme-  
mini, ueluti palabundas expatiari in earum rerum cogita-  
tione & cura, quæ maxime abhorrese à philosophia uiden-  
tur: & per diametrum esse obiecta (ut est in Græcorū pro-  
verbio) ei uitæ, quam ego institui annos iam propè duode-  
triginta: omnesq; sensus meos per occasionem à statione  
sua emissos, ueluti errores aut emāsores longe, diuq; per-  
uagatos esse: & multa explorasse, nihil ad institutum per-  
tinentia, euentu haud incommodo. Quippe qui in præfi-  
dia se sua haud turbide receperunt, statim atq; principa-  
tus animi receptui canendum esse censuit: ita ut imperia  
nunc

nunc libentes à ratione accipiant, ac sese in potestate futuros philosophiæ præ se ferant. Atqui in huiuscemodi constitutionem animi fortuna æmula philosophiæ, parum mihi iuris uidetur habitura. Quo sit spe ut certiore, ac secundiore proposito instructum me esse confidam aduersus indeprecabilem fatorum necessitatē: nec magnopere fortuna negotia facessere possit studio literarum obhærescēti. Huiuscemodi porrò fuisse animi mei habitum credi non lim in posterum, nisi eiusce rei documenta dedero luculēta, modo nihil mihi acciderit humanitus, id quod ipsum diuina uiderit prouidentia: cuius est benignitatis quicq; possumus & præstamus. οὐτω γοῦν ταῦτα φρονῶ ποιεπὶ πλάνοις τοῖς πλάνῳ προσατένυσιν, ὥσπερ μέγα ἔγωγε φρονῶ ἐπίκαια ταφρονήσῃ ὡμοῦ δυτοι ποιοῦται προπλείσθαι, τότῳ δὲ τῷ διατριβῇ διακόπτεται. Erasmus meum tuumq; uerbis meis saluta: cui ex ijs quæ tecum locutus sum non pridem, persuasissime iam debes nihil me illi infensiorem esse ob illam scriptionem. Quicquid enim in me scite, ac lepide, per speciemq; declamationis uelatus est, offendere me non debuit: præsertim quum nihil ita noxie spiculatum emiserit, ut non ab eodem ipso euelli queat cum uollet, uulnusculiq; locus cicatrice obduci. Ut autem sciat q; eiusmodi facto eius conturbatus sim, uelim ut eum certorem facias, me epistolam eam imprimendam curaturum nisi ipse anteuerterit: feramq; libens hanc ei cōditionem, liceat ut ei statuere, an eiuscemodi pactum concipere, ini-  
reçq; mecum uelit, εἰ φῶ μὴ μνησικακόμενον ἀμφω τούτῳ αντεπεισαλ-  
μένων φένει με. καί τοι ἀχθομένου ἔγωγε ἀπιστόλῳ Θύρᾳ τότῃ,  
καί προμοσάμενῳ θύρᾳ μὴ ἀχθεθῆναι γε αυτῷ οὐπέρ τοι γεγνα-  
μένων. Habes quod petiſti longæ epistolæ argumentum,  
si tibi uel in nugis paria mecum facere uacauerit. Vale. Pa-  
risijs quartodecimo Calend. Septembres. M.D.XIX.